





1770.

Muhrbeck, Fran. Christoph: De gemina obligationis
ratione vindictae definitionis Lestrucio-Wolfgangae
simul sistens.

1771.

1. Henning, Carol. Siegf. Abbt., de: An moratorium adversus
creditors extraneos proposit²
ad Disputationem inaug^{is}
2. Breitsprecher, Franc. Phil: De investitura simul,
saneque prima, quam Carol. Siegf. Abbt. de
Henning . . . ventilabit, innotat, insimulque:
in et quatenus filio jure praesentim Pomeranicis
simultanea investitura in statu feudi patri delato
necessaria atque utilis esse queat? Disquisit.
3. Breitsprecher, Franc. Phil: De investitura simultanea
eaque prima.
4. Muhrbeck, Joh. Christophorus: De juribus neutralium

1772

+

Verke!

1772.

1. Becker, Hermannus: *Et Disputationem Snam: de proxenetis et proxenetibus, quam . . . Johann Gall-
hub Taddel . . . pro in utroque jure honoribus . . .
rehabilit. . . invitat simulque: Si denominatione
proxenetici ab Alpius toto in l. ult. D. de proxenet.
utilitate ejusque sensu³ sententiam exponit.*
2. Becker, Hermannus: *Sacrorum Pentecostationum
primae ac devotae celebrationem . . . praemissa
brevis prolatione academica de jejuniis pentecostali
ejusque origine a viribus academicis . . . commendat.*
3. Beckerus, Hermannus: *De proxenetis et proxenetibus*

1773.

1. Heminger, Carl Siegf. Abbt: *An heredes debitorum beneficio
inventaria uti possint?*

2. Brestsprecher, Franc. Phil: ad disputatorem graduales,

De statutorum proprie legis obligandi principis
et omnique authentica interpretatione, quam Georgius
Fischerus Solvige . . . pro . . . summis in utroque
jure . . . honoribus . . . dependet, inest
simulque: De jure statuendi academicae Professoriae
competentiae pauca disserit.

3. Brestsprecher, Franc. Phil: De statutorum proprie
legem obligandi principis et omnique authentica
interpretatione

1777.

1. Alwarth, Petrus: De jure reolutorio Americanorum.

2. Schlicht Krull, Chr. Nic.: ad Jacob - Christophori Bues-
lachi . . . Disputationem inaugur: De praedicti testatibus
pro summis in jure honoribus . . . capere . . .
dependendam . . . inest simulque: De obligatione her-
editaria solvendi, quae contraxerunt debita . . . disserit.

3. Schlichtkrull, Chr. Nic. : De praediis feudalibus .
part I continens historiam et successionem.

4. Schlichtkrull, Christ. Nic. Fac. jurid. prae-decanus :
ad Davidis Wilhelmi Waneckus . . . Disputationem
inang. , quae sistit quaestionem : an actio pignora-
ticia directa contra lesium possessorem inposita
queat ? . . . irritat simulque i³ leg. mix. Co-
etiam et chirographariam pecuniam etc. Com-
mentatur .

5. Schlichtkrull, Chr. Nic. : An actio pignoratitia
directa contra lesium possessorem inposita queat
1788 .

Schlichtkrull, Chr. Nic. : De matrimonio illustri
cum nobili avita

1793. Hulken, Andreo : De aequalioribus radicibus
alsquod aequales habentibus .

1796.

Hultén, Anders : De aequationibus radicibus aliquot
aequales habentibus .

1797.

Hultén, Anders : De aequationibus radicibus aliquot
aequales habentibus .

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]







32.

G. 39. num. 18. 1773, 3

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

STATUTORUM PROPRIE
TALIAM OBLIGANDI PRINCI-
PIIS EORUMQUE AUTHENTICA
INTERPRETATIONE.

11

P. 81

QVAM
FAVENTE DEO
EX DECRETO ET AUCTORITATE
ILLUSTRIS GRYPHICI ICTORUM ORDINIS
SUB PRAESIDIO
VIRI EXCELLENTISSIMI ET CONSULTISSIMI
DOMINI

FRANC. PHIL. BREITSPRECHER,

I. U. D. ET PROF. REG. ORD. FACULT. IURID. P. T. DECANI,

PRO

SUMMIS IN IURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS

D. IX. MENS. MART. A. O. R. MDCCLXXIII.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBIICIET

GEORG. FRIDERICUS SCHULZE,

I. U. CANDID.

LAGA-MEGAPOLITANUS.

GRYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO IURISPRUDENTIAE IURIDICA

DE
STATUTORUM PROPRIE
TAMQUE ORIGINARI PRINCIPALIS
HIS FORMAE AUTHENTICA
INTERPRETATIONE

AVANTE DEO
IN DECRETIS ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMO SENATUS
EXCELLENTISSIMO
CONSULTISSIMO

FRANCISCAE ACADEMIAE
IURISPRUDENTIAE IURIDICAE

SCIENTIARUM IN IURISPRUDENTIA ET LINGUIS
DOCTORALIBUS
RITIBUS CONSEQUENDIS

DE JURE MARIAE A. O. S. MDCCXXXIII
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

ADMINISTRAT
GEORG. FRIEDRICHUS-SCHULZE

J. N. CAROLUS
LITOGRAPHUS



GRATIS
LITOGRAPHUS
L. N. CAROLUS





Instituti ratio.

Bibliothecas atque indices scriptorum iuridicorum pervolventi tam copiosus numerus eorum sese offert, qui ad iura germanica statutaria illustranda eorumque origines, fata, interpretationem, vim obligandi aliave dogmata generalia explicanda & perpolianda omni doctrinae genere contulerunt *a*), ut vix sperare liceat, vel minimam huius provinciae partem relictam esse, quae ulteriori cultura indigere possit. Inprimis etiam eius argumenti, quod in praesenti pertractare animus est, partem primariam, ut taceam antiquiores & minus celebres, singulari exercitatione iam excussit I. H. BÖHMNER *b*), cuius scripta, quam praeclara & pragmatica sint omnia, nemo ignorat. Sane itaque verendum mihi, ne materiam a viris doctissimis luci iam expositam denuo examinando,

vel nimiae fiduciae atque arrogantiae suspensionem incurram, vel saltem in sylvam ligna ferre videar. Attamen cum mihi nullus obvenerit, qui de statutorum authentica interpretatione *c)* speciatim differuisset & hoc argumentum arctissimo vinculo cum statutorum obligandi principio cohaereat, circa hocce autem, praecipue eius specialiolem determinationem, neque laudatum BOEHMERI scriptum, neque ullum aliud tam accuratum omnibusque numeris absolutum invenerim, quo tuto illi inaedificare & absque ulteriori scrutinio calculum meum addere potuissim: non omnem spem abiicio, benevolum lectorem aequi bonique interpretaturum, nec plane frustraneum, nec scribendi occasione indignum habiturum esse laborem, quo praemissa *de statutorum vi obligandi* theoria, commodas inde conclusiones, qua *authenticam eorum interpretationem*, deducere constitui.

a) In quibus recensendis, quanta cum laude de litteratura iuris germanici meriti sint Viri *Ill. I. S. FÜTTER & I. H. C. DE SELGHOW*, ille in *der zweyten Zugabe seines neuen Verzeichs einer juristischen Encyclopädie*, Göttingen 1767. hic vero in *Bibliotheca iuris provincialis & statutarii germanici*, editioni tertiae, Eius *Elementorum iuris germanici privati hodierni*, quae *Hannoverae 1767.* prodiit, praemissa; nemini harum rerum vel leviter curioso ignotum esse poterit.

b) in dissertatione, cui titulus: *de natura statutorum, quae in civitatibus provincialibus conduntur eorumque obligandi principio.* Extat inter eius *Exercitationes ad Pandectas Tom. I. pag. 649.*

c) Non

Non desunt quidem scriptores, qui de statutorum interpretatione egregie & ex professo commentati sunt, inter quos, sicut C. H. ECKHARDUM in *Hermeneutica iuris Lib. II. cap. 1.* nominaverim, ceteros omnes facile silentio praeterire poterō. Hic vero & qui praeter eum regulas interpretandi statuta exposuerunt, solam ante oculos habuerunt doctrinalem.

II.

Variae vocis: Statutum significationes. Quid usu hodierno proprie denotet?

Multifariae autem vocis: *Statutum* significationes occurrunt, quae tamen commode ad duas generaliores revocari poterunt, quarum altera, apud Latinos frequentissima, ad *decreta* & *sententias* praetoris, iudicis & arbitri pertinet, altera idem quod *Lex* denotat. Posteriori vero in sensu in iure romano praeprius de principum constitutionibus, nonnunquam etiam de omni iure dicitur; similem in modum in iure canonico accipitur; in legibus imperii nostri germanici iura quaelibet provincialia & civitatum immediatarum haud raro statutorum nomine comprehenduntur *d*). Proprie autem vox adhaesit, *iuribus civitatum mediatarum, universitatum, collegiorum, imo & familiarum peculiaribus, neque tamen in ipsis legibus universalioribus per modum exceptionis clausis; e*) quo ipso satis monstratum erit, quid statutorum proprie talium nomine in haec tractatuncula intelligi velim, nec accuratori eorum definitione opus esse poterit. Passim vero haec statuta proprie sic dicta *privilegia* etiam appellantur & *consuetudines. f*) Prioris deno-

minationis ratio dubio procul inde derivanda, quod omne ius in singulorum favorem vel odium constitutum, privilegium audiat. Altera autem statutorum originem sapit, quam consuetudinariam fuisse dudum observarunt viri docti. g)

d) Loca, quae huc usque adductos significatus, ad institutum meum nihil quidquam pertinentes, confirmant, larga manu collegerunt, B. BRISSONIUS de *Verbor. signif. voce: statuere & statutum*. NIC. CHRISTOPH. L. B. de LYNCKER in *Diff. de statutis civitat. provincial. §. I.* C. G. RICCIUS im *zuverlässigen Entwurf von Stadtgesetzen. II. Buch I. Cap. §. V. p. 323.* alique plures.

e) Iura enim singularia civitatum similiumque universitatum, quae in iure communi v. g. circa materiam restitutionis in integrum, praescriptionis cet. introducta sunt & privilegia in corpore iuris clausa dici solent, pariter etiam exceptiones, quae ipsis legibus provincialibus in gratiam, vel odium unius alteriusve communis inferuntur, iuri statutorio haud accenseri, ex usu loquendi quotidiano satis constat.

f) conf. ECKHARD in *Hermeneut. iuris Lib. II. cap. I. §. IV. V. & VI.* ibique laudati autores. Alia nomina pro diversitate regionum Germaniae & argumenti varietate usitata & in omnibus iuris germanici libris obvia, sciens praetermitto.

g) LYNCKER. *diff. cit. §. V.* RICCIUS *all. l. §. II.* alique, qui statutorum originem & fata pertractarunt.

III.

Diversi modi, quibus statuta introducuntur.

Sin iam quaeritur, unde vis obligandi horum statutorum, quae proprie talibus adscripti, petenda sit: in resolvenda hac quaestione per partes eundem esse, facile apparet. Nullis ea difficultatibus premitur, in statutis, quae immediate a principe proficiuntur, sive hic ipse eorum auctor sit, sive ab externis accessita suis largiatur; paulo maioribus subiacet quoad statuta, quae proxime a civitatibus aliisque universitatibus vel conventionem vel usum & observantiam introducuntur; maximis denique involuta est ratio eorum, quae civitates aliaeque societates atque collegia ipsa sibi suisque per modum legis expressae constituunt.

IV.

De statutis, quae principem auctorem immediatum habent.

Quod ergo priorem classem attinet, eorum scilicet, quae ex ipsius legislatoris manibus accipiuntur; de horum auctoritate & vi obligandi haud magis, quam de vigore cuiuslibet alterius legis dubitatio suboriri, nec quidquam hic interesse potest, num princeps domesticis, an peregrinis placitis suos donet. Ideo tamen hoc statutorum genus ex numero eorum haud excludendum erit, quod vulgo fieri animadverto, dum plerique doctores, ea tantum iura statuta proprie talia esse dicunt, quae civitas sibi ipsa in utilitatem suam constituit *h*), seu quae non immediate a summo legislatore descendunt, sed
ab

ab inferiori & dependente potestate & quidem ex delegata oriuntur i). Nam primo oppido refragatur usus loquendi, quod vel exinde elucescit, quia e. g. in his oris Lubecenſium iura, licet ſolius principis gratia civitatibus largita, ſtatutorum nomen ubique retinuerunt, admodum frequens etiam eſt locutio, civitatem vel aliam univerſitatem a principe *ſtatutis* dotatam eſſe atque adornatam, quamvis ſanctiones illis praefcriptae ex ipſius principis ingenio, nec in ulla civitate ortae ſint. De in vero aſſeri etiam vix poterit, doctrinam bene diſpoſitam nil detrimenti inde capere, ſive iura univerſitatum peculiaria immediate a principe originem ducentia ad ſtatuta referantur, ſive minus; ea propter, quod eiſmodi iura & alias leges qua vim obligandi nullum intercedat diſcrimen. Quamvis enim in hoc & vel in pluribus capitibus nulla ſubſit differentia, quae ſeparatam illorum inſpectionem deſiderare poſſit, nihilominus in aliis effectibus legitimis diverſitatem conſpicuam eſſe, nemo inficias ire poterit.

h) Ita LYNCKER *diſſ. alleg.* §. II.

i) quae eſt definitio I. H. BOEHMERI in *Exercitat. laud.* cap. II. §. 4.

V.

De ſtatutis conventionalibus.

Sequitur altera ſupra poſita ſtatutorum claffis, quae autem duas qua obligandi principium admodum diſcrepantes ſpecies complectitur, *conventionalia* nimirum & *conſuetudinaria*. Illorum vigorem & robur eodem niti fundamento, quod pactis pri-

privatorum efficaciam & validitatem attribuit eaque, licet iuri communi contraria, dummodo absolute prohibita vel praecepta non evertant, nec sub certis hypothefibus prohibitis vel praeceptis sub iisdem derogent, sine omni etiam principis consensu valere h), tralatitium est. Longissime etiam a me abest, ut verissimam hanc sententiam in dubium vocare velim. Non omni tamen scrupulo exempta haberi potest. Cum enim eiusmodi societates, quales in materia statutorum supponimus, ut plurimum eo iure utantur, ut quod maior membrorum pars decernit, voluntati omnium equiparandum sit, quaestio exsurgere potest, num statutorum conventionalium obligandi vis, sicuti pactorum privatorum a singulorum consensu, annon potius a pluralitate suffragiorum dependeat? At enim vero posterius, omni veritatis specie quamvis haud destitutum sit, reiciendum esse & sine multo labore refelli posse, existimo. Nam ius illud pluralitatis votorum negotia ad societatis finem pertinentia egredi nequit & qui latius illud extendere vellet, omnia membrorum societatis bona atque iura, quam maxime redderet incerta. Fac autem, universitatis fines & negotia civitatum collegiorumque necessitatem quandam, condendi statuta, secum ferre, nec non ius per pluralitatem votorum concludendi illis competere; tum statuta, quae hoc iure constituuntur, neutiquam ad conventionalia, sed ad aliud eorum genus, de quo infra §. VIII. referenda sunt. Sponte ergo ex haecenus dictis fluit, *statuta conventionalia non nisi eos, qui in eorum receptionem consenserunt, obligare, reliquos autem, qui dissenserunt, numero licet longe impares, vel qui postea bona & domicilium in eo loco adquiserunt.*

B

siverunt.

averunt, item advenas & extraneos minime obstringere. Iisdem fere verbis praeceuntem hic habeo LEYSERUM 1), qui ceterum in tractatione huius materiae plerumque dormitasse mihi videtur, circa adductam conclusionem dupliciter etiam errat, dum primo ad statuta conventionalia recentiora cum iure publico pugnantia eam restringit, secundo autem ex usu & consuetudine illam derivat, cum potius ex ipsa pactorum natura repetenda sit & facillimo negotio deduci queat.

k) Exceptio tamen hic admittenda est ratione statutorum opificum, quippe de quibus in *Concl. Imp. de 1731.* novissime sanctius iussu, §. 1. dispositum: es sollen im Heil. Röm. Reich an keinem Ort einige Handwerks-Articuln, Gebräuche und Gewohnheiten passirt werden, sie seyn dann von der Landes- oder wenigstens jedes Orts dazu berechtigten Obrigkeit, nach vorgängiger genugsamen Erweg- und Einrichtung nach der Sache gegenwärtigem Zustand confirmirt und bekräftiget, hingegen alle diejenige, welche von denen Handwerksleuten, Meister und Gesellen für sich und ohne nur gedachten Obrigkeiten Erlaubnis, Approbation und Confirmation ausgerichtet worden, oder inskünftige ausgerichtet und eingeführet werden mögten, null, nichtig, ungültig und unkräftig seyn; quem locum de ipsis adeo opificum placitis iuri communi neutiquam contrariis, sed praeter hoc introductis intelligendum esse, facile perspicitur.

l) in *Meditat. ad Pandect. Spec. VIII. Med. V.*

VI.

Statutorum reliquorum obligandi principium generale.

Verum de his plus satis. Transeo iam ad ceteras statutorum species, consuetudinaria scilicet & ab ipsis civitatum aliarum-

rumve societatum membris per modum sanctionis expressae condita, quorum illa *non scripta*, haec autem *scripta* appellari solent *n*). Utriusque generis statuta immediate licet a principe haud oriunda, ab hoc tamen, sin ad primum fontem redieris, eiusque potestate legislativa omnem derivare & acquirere debere auctoritatem, robur atque vim obligandi, consors fere omnium recentiorum est doctrina & principiis iuris publici universalis non minus, quam naturae atque indoli civitatum mediarum aliarumque universitatum, quippe quarum magistratus atque gubernatores nihil quidquam potestatis habere possunt, quod non summo territorii domino acceptum ferendum sit, apprime convenit. In eo praeprimis etiam allaboravit I. H. BOEHMER supra laudato loco, *n*) ut veritatem huius doctrinae ante oculos poneret & extra dubitationis aleam constitueret. Argumento autem, praeter alia, quae repetere non attinet, usus est, quod sin recte sese haberet, non solum plus detrimenti quam commodi inde exurgeret summis Germaniae principibus, verum etiam ea ipsa potestas pessum iret, quam illis vindicare & ex qua omnem statutorum vim obligandi derivare fategit. Putat nimirum, absurdum fore leges ferendi potestates diversas in una republica agnoscere. Sic vero etiam ineptum foret, in Germania, quam unam rempublicam esse, nemo nescit, diversas admittere legum ferendi potestates, alteram caesaris est statuum imperii, alteram, quae hinc in suis territoriis competit & illa ipsa est, unde omne statutorum robur deduxit Vir doctissimus. Verissimum quidem est, quoad unum idemque obiectum duplici sum-

mo imperio locum esse haud posse. Nihil quidquam ineptitudinis autem involvit, quoad diversa, diversas in una republica agnoscere imperandi & iubendi potestates; quod si accuratius pensitasset Vir Ill., dubito, an in illos errores prolapsus esset, quos illi in materia de habitu sacerdotii ad imperium familiares esse aliunde constat, & quos etiam hoc loco, sed frustra immiscet.

m) Vel me non monente apparebit, ius *scriptum* hic sumi in sensu tecnico Ictis proprio, cum in sensu Grammatico posterior species ad non scriptum, prior autem ad scriptum etiam pertinere possit. Ceterum naturam statutorum minime postulare, ut in scripturam redacta sint, quippe quod hic suppono, iam observavit *riccius* im *zuverlässigen Entwurf von Stadtgesetzen*. II. B. I. Cap. §. 6. qui tamen ipse sibi non satis constat, dum eodem loco ad statutorum essentiam refert, quod expresse promulgata esse debeant, cum tamen alibi passim, egregio apparatu demonstraverit, iura civitatum usu s. consuetudine & expressa promulgatione introducta arctissimo nexu inter se cohaerere, sin ad usum loquendi, cui statutorum definitio dubio procul adaptanda est, respicitur, conf. §. II. *huius dissert. in fine.*

n) inprimis hic conf. §. V. cap. I. *saepius laud. Exercit.*

VII.

Specialius determinatur a) quoad statuta non scripta.

Quamvis autem de principio obligandi statutorum proxime a principe haud proficiscentium generali eoque primo, ceu
 initio

initio §. *prae.* adduximus, nulla fere diffidia superfint; eo maioribus tamen res implicita est, dum ad specialiore[m] devenitur definitionem, quo modo & qua via hocce principium circa singulas eiusmodi statutorum species operetur illisque vim coactivam inferat. Sic quod non scripta attinet, ut taceam illos, qui ad consensum principis *interpretativum* o) f. *praesumptum* confugiunt, sic vero revera fingunt, ubi ad fictiones recurrere quam minime decet, plurimi persuadere nobis volunt, *tacitum* legislatoris *consensum* rivulum illum esse, qui obligandi efficaciam iis adducat. Ita esse lubenter acclamarem, sin in republica romana viveremus, ubi cives consuetudines introducentes ipsi legum iubendarum potestatem tenebant, consequenter, simulac de veritate consuetudinis constabat, de eius validitate & consensu legislatoris tacito dubium remanere non poterat p). Ast hanc sententiam, mea opinione iam parum accurate & non absque insigni temporum confusione in ius romanum novissimum transcriptam, nostris civitatibus, in quibus summi legislatores extra omnem fere consuetudinum notitiam positi sunt, sine ulla circumspectione velle accommodare, plus quam ridiculum est, vel sane, sin consensum tacitum recte interpretamur, omne fere ius consuetudinarium exterminaret. Neque etiam hanc ratiocinationem remorari poterit, quasi ad eliciendum consensum principis tacitum, quod apud nonnullos legisse memini, sufficeret, consuetudines ad collegiorum, quae principis nomine ius dicunt, notitiam pervenisse eorumque decretis & sententiis adprobatas esse atque confirmatas. Cum enim summa etiam tribunalia legum ferenda-

rum potestate haud polleant, frustra omnino ab eorum consensu validitas consuetudinum repetitur & semper quaestio de consensu principis remanet. Longe sanior ergo eorum sententia mihi videtur, qui quidem haud plane negant, posse ius consuetudinarium vim suam obligandi tacito principis consensu accipere, potissimum autem eius firmamentum, in *consensu* legislatoris *generali expresso* collocant, quo publice declaravit, se omnes consuetudines bonas, rationabiles & legitime introductas vel introducendas servaturum esse & iudiciis suis hanc necessitatis legem imposuit, ut in decisionibus suis eiusmodi consuetudines non minus, quam leges scriptas custodiant atque observent q). Talis consensus & voluntatis legislatoriae declaratio non solum in iure romano & canonico, verum etiam in imperii nostri domesticis legibus universalibus obvia est, nec non in cuiuslibet territorii iure particulari, quantum ex paucis, quae mihi haud ignota sunt, coniecere licet, forsan invenietur r). Ceterum ex hisce principiis facile etiam diiudicatur, quantum qua ius civitatum, veras non solum, sed etiam firmas consuetudines introducendi referat, num illis principis gratia condendorum statutorum potestas concessa sit. Licet hac concessa, nisi ad statuta expresse promulganda forsan restricta sit, illi novum fundamentum non omni utilitate destitutum s) accedat, tamen utraque non hoc modo a se invicem dependent, ut deficiente posteriori, prius simul exulet. Nam generalis ille consensus in iure communi obvius ad validitatem & vim obligandi consuetudinibus civitatum omniumque universalitatem conciliandam quoque sufficit. Ita etiam interpre-

tanda

tanda sunt, quae L. B. de LYNCKER t) RICCIUS u) aliique de nexu utriusque dicti iuris afferunt, quamvis, fin verbis eorum inhaereas, posteriori plus iusto hic tribuere videantur, quoad commune consuetudinum obligandi principium etiam vulgarem opinionem cantitent.

o) Ne ipse eorum exemplo, quos hic peto, fingere videar, vindex esto HAHN ad WESENBECK. *Lib. I. Tit. III.* ad verba: *non contradicat.*

p) Ita saltem de moribus extrajudicialibus sese res habebat. Sed de iure non scripto, quod ex edictis praetorum, rebus perpetuo similiter iudicatis, disputatione fori similibusque fontibus proxime oriebatur, non aliter etiam iudicium ferre poterit, qui ad modum celebrandorum iudiciorum in republica romana usitatum & tribunos plebis, qui semper praesto erant & tamquam os populi, quae huic minus grata videbantur, intercedendi sua potestate impedire poterant, oculos advertit.

q) Inter paucissimos in primis consentientem hic habeo PETR. GIBERTUM in *corp. iur. canon. Tom. I. part. poster.* p. 86. Verba eius, quae huc pertinent, iam dedit Ill. G. L. BOEHMER in *Princ. iur. canon.* §. 250. neque mihi ipsum GIBERTUM inspicere licuit.

r) Ex iure romano post habita *L. 32. D. de LL.* quippe quae liberam romanorum rempublicam redolet, huc refero *L. 33. ibid. pr. I. de officio iudic. L. 1. & 3. C. Quae sit long. consuet. ex iure canonico, t. 9. & n. X. de consuetud. c. 1. de constitution. in 6to.* Ex legibus imperii *ord. cam. de 1495. §. 3. & de 1555. tit. XIII. §. I. & tit. LVII.* allegasse sufficiet.

s) Sic v. g. iura statutaria vi privilegii condita haud magis
prin-

principi abrogare licet & tollere, quam ipsa privilegia; MEVIUS P. VII. Decis. 305. & 306. quare etiam consuetudinaria vi privilegii invec̄ta principi sanctiora esse debent, quam illa, quae vim suam obligandi ex illius consensu generali & ex iure communi mutuuntur.

t) in *diff. cit.* §. IV. & IX.

u) in opere saepius laud. I. B. I. Capit. §. IV.

VIII.

b) *quoad scripta.*

Reliqua sunt statuta, quae supra §. VI. *scripta* adpellavi & quorum obligandi principium proximum adhuc determinandum est. Immorari iam hic nolo recensendis prolixè atque refutandis illorum erroribus, qui nihil ratum pensumque habentes, nisi quod in iure romano legissent, ex hoc si non omnibus universitatibus, saltem civitatibus potestatem statuendi ab ulteriori principis consensu independentem vindicare annisi sunt eumque in finem vel ad merum atque mixtum imperium vel ad iura municipiorum romanorum confugiunt. Ut ergo, missis hisce a Viris doctissimis iam satis explosis, meam etiam de hoc statutorum genere qualem qualem sententiam exponam, distinguendum erit, num statutorum ab ipsis civitatibus aliisque universitatibus expresse conditorum confirmatio a principe petita & impetrata, an vero de eiusmodi statutis sine principis confirmatione valiturus sit quaestio. Priori casu non minus claret, statutis vim obligandi inesse, quam unde haec ducenda sit. Quo autem posteriori casu illis auctoritas tribui queat & vis

vis coactiva, ob principium generale §. VI. positum necesse est, ut eorum auctores statuendi potestatem principis concessione atque legitimo titulo adquisiverint. Id vero fieri potest vario modo, *Imo praescriptione immemoriali seu possessione iuris absque confirmatione principis statuendi, cuius initii memoria non existat, quippe quae tituli optimi vicem gerit & loco probationis est, legitime olim tale ius adquisitum fuisse. Ildo concessione principis expressa s. privilegio, ut statuta condere liceat.* Neque hoc casu requiritur, necessitatem confirmationis verbis expressis exclusam esse. Id enim in tali privilegio tacite semper subintelligendum, quia omnia privilegia ita interpretanda sunt, quo effectum habeant, ius autem, cum confirmatione principis statuta condendi iam sine ullo privilegio omnibus universitatibus quinimo cuilibet privato non potest non tribui, quare reservata confirmationis necessitate, statuta quidem, antequam haec impetrata, invalida sunt, revera autem tali privilegio fucus factus, & nihil penitus largitum est, quod non antea iam habuisset universitas. *IIIto concessione tacita, quam adeste saepius laudatus I. H. BOEHMER u) perhibet, si auctoritate statuta pollere princeps sinat, si in supremis dicasteriis iuxta eorum sensum lites dirimere actionesque subditorum diiudicari permittat, alii autem iique plurimi inde inferunt, si curam legum non habeat princeps, actiones subditorum ad certam normam non revocet, magistratui inferiori tamen administrationem & regimen civitatum ac universitatum relinquat, quia qui vult finem, voluisse etiam media credendus sit, quo autem casu secundum BOEHMERUM non tacitus, sed praesumptus principis consensus pro fundamento assu-*

C

mendus

mendus est, cui tamen non minorem vim quam consensui tacito assignat & inde novum atque singularem acquirendi iuris statuendi modum efficit. Rectius forsan ita sese res habet 1) consensum praesumptum, quatenus tacito opponitur, etiam hic tanquam figmentum & spuriam consensus speciem prorsus ablegandam esse, cum eo iure, quod in hac materia respiciendum est, omnem efficacem mentis declarationem vel verbis, vel factis concludentibus fieri necesse sit, hinc praeter consensum expressum & tacitum, tertium eius genus haud detur; 2) multum interesse, num de statuti alicuius singularis facta confirmatione, an vero de legitime acquisita statuendi facultate fermo sit. Facilius illa, quam haec eruitur. Sic quando princeps in iudiciis ab eo constitutis secundum statuta cuiusdam universitatis lites diiudicari atque decidi *scilicet* permittat, haec quidem statuta tacite confirmata haberi possunt, minime autem inde inferendum, concessam pro futuro esse statuendi potestatem. 3) Sub illis circumstantiis, e quibus a BOEHMERO, seu proxime adduxi, nonnisi consensus praesumptus concluditur, revera tacita adest facultatis statuendi concessio. Neque tamen hanc, nisi aliae adhuc circumstantiae accedant, concessioni expressae eo effectu equiparandam esse autumo, quo universitas statuta *sine principis confirmatione* valitura sibi ipsa constituere possit. Nam exinde, quod princeps magistratui inferiori administrationem & regimen civitatum aliarumque universitatum reliquerit, vel demandaverit, nec tamen normas, sine quibus hic officio suo bene defungi inhabilis foret, praescripserit, prono quidem fuit alveo, non solum licere universitati,

fitati, verum etiam ad officia eius pertinere, ut sibi ipsa statutis prospiciat. Minime autem inde colligi potest, principem iuri suo confirmandi renunciaffe, cum omnis facultas statuendi hoc casu e negotiis magistratui conceditis & ex fine univertatis dimetienda fit, hic autem non minus imo vel melius statutis a principe confirmatis obtineri queat, quam non confirmatis. Vix ergo ac ne vix quidem potestas statuta absque principis confirmatione efficacia condendi ex tacita eius concessione elici poterit. Ponamus tamen 4) univertatem quandam in ea necessitate constitutam esse, ut ipsa sibi conficiendorum statutorum curam sumere debeat, finge praeterea istiusmodi rerum faciem, quae frustra confirmationem statutorum a principe impetrandam expectari faciat, tum dubio procul eandem statuendi facultatem ex tacita eius concessione sibi vindicare poterit, qualem tribuere concessionem expressam supra contendi.

v) in *Exercitat. cit. cap. II. §. IX.*

IX.

*Authentica statutorum interpretatio cedit doctrinali
& usuali.*

Vidimus de statutorum obligandi principiis. Restat altera dissertationis pars, *de authentica eorum interpretatione* inscripta, quam tamen eorum auxilio, quae haecenus tradita sunt, paucis expedire potero. Nemo nescit, authenticam legis interpretationem eam esse, quae a legislatore procedit & quo huius locus esse queat, requiri, ut lex adsit expresse promulgata, ut ne sensus verborum, quibus concepta, sit absolute obscurus

feu planè nullus, nec tamen cognitioni subditorum ope artis hermenevticae & interpretationis doctrinalis regularum pervius, neque tandem usu ac consuetudine iam fatis determinatus.

X.

Cessat quoad statuta consuetudinaria.

Sponte inde sequitur, non dari authenticam interpretationem statutorum, quae ad ius consuetudinarium feu non scriptum pertinent. In his enim ex ipso usu, quo introducta sunt, unice diiudicandum est, quo modo accipienda sint. Nec aliter sese res habet, etiam si in scripturam redacta sint eiusmodi statuta. Sin enim publica auctoritate id factum, in ius scriptum degenerant & consuetudinum naturam plane exuunt. Sin autem privato ausu litteris mandata sunt, eiusmodi scriptura nullo in foris effectu gaudet & non minus, quam si non existeret, res omnis redit ad actus, quibus inolevit consuetudo eorumve circumstantias aliunde quam ex tali scriptura probandas. Fac vero etiam statuta consuetudinaria originem suam debere rebus perpetuo similiter iudicatis s. praeiudiciis, vel infera esse aliis instrumentis ad fidem iudici de veritate eorum faciendam ratione formae haud inidoneis. Ne sic quidem authenticae interpretationi in hoc statutorum genere locus aperietur. Priori enim in casu declaratio sententiae a iudice petenda obtinet. Instrumenta autem a principe ipso haud proficiscentia, quorum argumentum obscuritate inextricabili laborat, quippe qualia hic supponenda sunt, nullius plane momenti esse, nec de-

determinandi eorum sensus causa ad legislatorem dari recursum, vix monere opus erit.

XI.

Nec minus quoad conventionalia.

Pariter quoque natura statutorum conventionalium authenticam interpretationum plane respuit. Aut enim de eorum sensu auctores consentiunt; aut dissentiunt. Sin prius vel sensus statuti obscurus dici haud potest, vel etiam consensus paciscentium novum pactum involvit. Sin posterius, vel obscuritas adest ullo modo explicabilis, vel absolute inexplicabilis. Hoc casu, quia omnis interpretatio praesupponit, sensum orationi subesse, nec talem esse verborum structuram, ut nihil exinde intelligi, nec ab ullo sanus sensus inferri possit, interpretis officium plane cessat, & pactum s. conventio, quatenus obscuritate inexplicabili laborat, pro non scripta atque inutili habenda est, ceu contra GOTHOFREDUM, CUIACIUM &c. iam docuit ANTON. FABER *w)* eoque solidius I. H. BOEHMER. *x)* Illo autem casu contra eum interpretatio facienda est, qui clarius loqui debuisset & licet ipse princeps secundum hanc regulam, controversiam de sensu statuti conventionalis ortam, dirimat, tamen ne sic quidem authentica hic occurrit interpretatio, sed potius doctrinalis eaque iudicialis.

w) in *Rational. in Pand. ad L. 39. D. de pactis.*

x) in *diff. de interpretatione facienda adversus eum, qui clarius loqui debuisset §. XII. T. II. Exercit. in Pandect. pag.*

Cuinam competat reliquorum statutorum authentica interpretatio?

Remanent tanquam obiectum authenticae interpretationis statuta scripta, seu verbis expressis promulgata, quorum duplex genus in priori dissertationis parte occurrit, alterum eorum, quae immediate a principe, eorum alterum, quae proxime ab universitatibus praescribuntur (§. III.) *Illorum* authenticam interpretationem solius principis esse, cum praeter eum nemo sit, qui tanquam legislator hic spectari possit, nullus in dubium vocabit. Quoad *haec* vero eo respiciendum est, unde vim suam obligandi immediate accipiant eiusmodi statuta. A quo enim haec dependet, penes eum legislativa potestas, consequenter etiam ius authentice interpretandi residet. Hinc statutorum ab ipsis universitatibus licet proficiscentium, sed non nisi impetrata principis confirmatione validorum authentica interpretatio ad principem pertinet & quamvis a magistratu universitatis suscepta sit, nulla tamen gaudet auctoritate, nisi principis confirmatio denuo accesserit. Eorum autem interpretationem authenticam, quae universitas vi facultatis absque confirmatione principis statuendi legitime adquisitae condidit, optimo iure ipsa sibi vindicat & eo minus de hoc ambigi potest, quod certius est, universitatem facultate statuendi dotatam, abrogato plane statuto obscuro, novum, inconsulto principe, condere valere. Quod si tamen statuendi potestas, non nisi reservato iure confirmandi vel interpretandi, concessa esset, tum sine

du.

dubio utroque casu etiam soli principi authentica interpretatio
 competeret & huc respexisse videtur I. H. BOEHMER, rem ita
 proponens: *g) ius interpretandi statuta ad imperantem pertinere, nisi
 interpretandi facultatem cum privilegio statuendi concesserit, quod ple-
 rumque praesumitur.* Re ipsa ergo consentientem hic habeo Vi-
 rum doctissimum & paulo obscurius tantum sententiam suam
 expressit. Valde etiam dubito, an facile exemplum inveniri
 poterit, quo ius absque confirmatione principis statuendi & ius
 statuta authentica interpretandi, inter universitatem & princi-
 pem reapse divisum sit. De casu reservati iuris confirmandi au-
 tem §. VIII. mentem iam aperui. Ceterum quoad quaestionem
 hac §. tractatum, cuinam scilicet authentica statutorum inter-
 pretatio competat? nihil etiam in thesi refert, num domestica
 illa sint, an peregrina & ab exteris accersita. Haec enim in ci-
 vitate, in qua recipiuntur, ab eius legislatore, non a primis
 auctoribus vim legalem accipere, notissimum est, quare inter-
 pretatio, quae ab hisce forsan petitur, authentica dici nequit
 nec ejus effectibus gaudet. Negari tamen non potest, in hy-
 pothesi vix unquam statutorum peregrinorum authenticam in-
 terpretationem possibilem fore. Qui enim facile fieri poterit,
 sensum statuti peregrini soli illi, qui in suam civitatem ea re-
 cepit iisque vim obligandi impertitus est, pervium esse atque
 cognitum, ceteris omnibus vero obscurum & inexplicabilem?
 Fac autem ipsi etiam legislatori sensum statuti incognitum esse
 eumque adhibitis nullis Hermeneuticae regulis hunc determi-
 nare, tum non interpretem agit sed legislatorem, nec ergo au-
 then-

thentica interpretatio hoc casu fieri dici potest, sed nova lex iubetur. Plerumque ergo si statuta peregrina recepta obscuritatis vitio laborant, vel ad iura communia, ceu simpliciter statuit RICCIUS, z) vel ad novam legem, ad quam etiam non reclusum haberi potest tali casu refugium, recurrendum erit.

y) in *diff. de natura statutor. cap. u. §. X.*

z) in opere saepius adducto II. B. XI. Cap. §. V.




ULB Halle
005 372 003

3







32

G. 39. num. 18. 1773, 3

19

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
STATUTORUM PROPRIE
TALIUM OBLIGANDI PRINCI-
PIIS EORUMQUE AUTHENTICA
INTERPRETATIONE.

P. 81

QVAM
FAVENTE DEO
EX DECRETO ET AUCTORITATE
ILLUSTRIS GRYPHICI ICTORUM ORDINIS
SUB PRAESIDIO
VIRI EXCELLENTISSIMI ET CONSULTISSIMI
DOMINI
FRANC. PHIL. BREITSPRECHER,
I. U. D. ET PROF. REG. ORD. FACULT. IURID. P. T. DECANI,
PRO
SUMMIS IN IURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
RITE CONSEQUENDIS
D. IX. MENS. MART. A. O. R. MDCCLXXIII.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBIICIET
GEORG. FRIDERICUS SCHULZE,
I. U. CANDID.
LAGA-MEGAPOLITANUS.

GYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.

